

dictum est. Sed id quoque cum periculo summo fit. Nam sæpe in ipso opere, vel profusione sanguinis, vel animæ defectione moriuntur. Verùm hic quoque nihil interest an satis tutum præsidium sit, quod vnicum est. Igitur inter sanam vitiatamq; partem incidenda scalpello caro vsque ad os est: sic vt neque contra ipsum articulum id fiat: & potius ex sana parte aliquid excidatur, quàm ex ægra relinquatur. Vbi ad os ventum est, reducenda ab eo sana caro, & circa os subsecanda est, vt ea quoque parte aliquid os nudetur: dein id ferrula præcidendum est, quam proximæ sanæ carni etiam inhærenti: ac tum frons ossis quam ferrula exasperauit, leuanda est, supraque inducenda cutis, quæ sub eiusmodi curatione laxa esse debet, vt quàm maxime vndique os contegat. Quò cutis inducta nõ fuerit, id linamentis erit cõtegendum; & super id spongia ex aceto deliganda. Cætera postea sic facienda, vt in vulneribus, in quibus pus moueri debet, præceptum est.

LIBER OCTAVVS.

De positu & figura totius humani Corporis. CAP. I.



UPER EST ea pars quæ ad ossa pertinet, quæ quo facilius accipi possit, prius positus, figurasq; eorum indicabo. Igitur caluaria incipit ex interiore parte concaua, extrinsecus gibba, vtrinque læuis, & quæ cerebri membranam contegit, & quæ cute capillum gignente contegitur. Eaque simplex ab occipicio & temporibus, duplex vsque in verticem à fronte est.

Ossaq; eius ab exterioribus partibus dura, ab interioribus, quibus inter se connectuntur, molliora sunt. Interq; ea venæ discurrunt, quas his alimentum subministrare credibile est: raro autem caluaria solida sine futuris est. Locis tamen æstuosis facilius inuenitur. Et id caput firmissimum, atque à dolore tutissimū est: ex cæteris, quo futuræ pauciores sunt, eo capitis valetudo commodior est. Neque enim certus earum numerus est, sicut ne locus quidem. Ferè tamen duæ super aures, tempora à superiore capitis parte discernunt. Tertia ad aures per verticem tendens occipitium à summo capite diducit. Quarta ab eodem vertice per medium caput ad frontem procedit, eaque modo sub imo capillo desinit, modo frontem ipsam secans inter supercilia, finitur. Ex his cæteræ quidem futuræ in unguem committuntur. Hæ verò quæ super aures transversæ sunt, totis oris paulatim extenuantur, atque ita inferiora ossa superioribus leniter insidunt. Crassissimum verò in capite os post aurem est, quia capillus, ut verissimile est, ob id ipsum non gignitur. Sub his quoque musculis, qui tempora connectunt, os medium in exteriorem partem inclinatam positum est. At facies futuram habet maximam, quæ à tempore incipiens, per medios oculos naresq; transversa peruenit ad alterum tempus. Aqua breues duæ sub interioribus angulis deorsum spectant. Et malæ quoque in summa parte singulas transversas futuras habent. A mediisque naribus aut superiorum dentium gingivis per medium palatum vna procedit aliaq; transversa idem palatum secat. Et futuræ quidem in plurimis hæ sunt. Foramina autem intra caput maxima oculorum sunt, deinde narium, tum quæ in auribus habemus. Ex his quæ oculorum sunt, recta simpliciaque ad cerebrum tendunt. Narium duo foramina osse medio discernuntur. Siquidem hæc primū à superciliis angulisq; oculorum osse inchoantur ad

tertiam fere partem: deinde in cartilagine versæ quò
 propius ori descendunt, eo magis caruncula quoque
 molliuntur. Sed ea foramina, quæ à summis ad imas
 nares simplicia sunt, ibi rursus in bina itinera diui-
 duntur. Aliæq; ex his ad fauces peruia spiritum & red-
 dunt & accipiunt, alia ad cerebrum tendunt. In vlti-
 ma parte in multa & tenuia foramina dissipantur, per
 quæ sensus odoris nobis datur. In aura quoque pri-
 mo rectum & simplex iter procedendo flexuosum fit,
 quod ipsum iuxta cerebrum in multa & tenuia fora-
 mina diducitur, per quæ facultas audiendi est: iuxta
 ea duo paruuli quasi sinus sunt, superq; eos finitur
 os, quod transuersum à genis tendens ab inferiori-
 bus ossibus sustinetur, iugale appellari potest, ab ea-
 dem similitudine, à qua id Græci ζυγωδες appellant.
 Maxilla verò est molle os, eaq; vna est, cuius eadem
 & media & etiam ima pars mentum est, à quo vtrin-
 que procedit ad tempora, soloq; ea mouetur. Nam
 mala cum toto osse, quod superiores, dentes exigit,
 immobiles sunt. Verùm ipsius maxillæ partes extre-
 mæ quasi bicornes sunt. Alter processus intrâ latior,
 vertice ipso tenuatur, longiusq; procedens sub osse
 iugali subit & super id temporum musculis illigatur.
 Alter breuior & rotundior, & in eo sinu qui iuxta fo-
 ramina auris est cardinis modò fit: ibique huc & illuc
 se inclinans maxillæ facultatem motus præstat. Du-
 riores osse dentes sunt, quorum pars maxillæ, pars su-
 periori ossi malarum hæret. Ex his quaterni primi
 quia secant, τομικοί à Græcis nominantur, hi deinde
 quatuor caninis dentibus ex omni parte cinguntur.
 Ultra quos vtrinque fere maxillares quaterni sunt,
 præterquam in his in quibus tres vltimi qui sero gi-
 gni solent, non iucreuerunt. Ex his priores singulis
 radicibus, maxillares vtrique binis, quidam etiam ter-
 nis quaternis ve nituntur. Fereq; longior radix bre-
 uiorem dentem edit, rectiq; dentis recta etiam radix,

curui flexa est: ex eadem radice in pueris nouis dens subit, qui multu sæpius priorem expellit, interdum tamen supra infrave eum se ostendit. Caput autem spina excipit. Ea constat ex vertebra quatuor & viginti. Septem in ceruice sunt, duodecim ad costas, reliquæ quinque sunt proximæ costis. Hæ teretes breuesq; ab utroque latere, processus duos exigunt: mediam perforatæ quæ spinæ medulla cerebro commissa descendit, circa quoq; per duos processus tenuibus cauis peruiæ, per quæ à mēbrana cerebri similes mēbranae deducuntur. Oēsq; vertebrae exceptis tribus summis à superiore parte in ipsis processibus parū delidētes sinus habēt, ab inferiore alios deorsum versus processus exigunt. Sūma igitur protinus caput sustinet, per duos sinus receptis exiguis eius processibus, quo fit, ut caput sursum deorsum versus tuberculis exasperetur, secūda superiori parte inferiore. Quod ad circuitum pertinet, pars summa angustiore orbe finitur. Itaque superior summæ circumdata, in latera quoque caput moueri sinit. Tertia eodem modo secundam excipit. Ex quo facilis ceruici mobilitas est. Ac ne sustinere quidem caput posset, nisi utrinque recti valentesq; nerui collum continerent, quos *κροτάρες* Græci appellant. Siquidem inter omnes flexus alter semper intentus ultra prolabi, superiora non patitur. Iamq; vertebra tertia tubercula quæ inferiori inserantur, excipit. Ceteræ processibus deorsum spectantibus, in inferiores insinuantur, ac per sinus quos utrinque habent, superiores accipiunt, multisq; neruis & multa cartilagine continentur. Ac sic vno flexu modico in promptum dato cæteris negotiis homo & rectus insistit, & alioqui ad necessaria opera curuatur. Infra ceruicem verò summa costa contra humeros sita est, inde vndecim inferiores vsque ad imum pectus perueniunt, hæq; primis partibus rotundæ & leniter quasi capitulatæ,

vertebrarum transuersis processibus ibi quoque paulum insinuat is inherēt. Inde pateſcunt, & in exteriorē partē recuruatæ, paulatim in cartilaginē degenerant. Eaq̃ue partē rursus in interiora leniter flexæ committuntur cum osse pectoris. Quod valens ac durum à faucibus incipit, ab vtroque latere lunatum, & à præcordiis iam ipsum quoque cartilagine mollium terminatur: sub costis verò prioribus quinque, quas *Nōtas* Græci nominant, breues tenuioresq̃; atque ipse quoque paulatim in cartilaginē versæ, extremis abdominis partibus in hærescunt, imaq̃; ex his maiore iam partē nihil nisi cartilago est. Rursus à ceruice duo lata ossa vtrinque ad scapulas tendunt, nostri scoptula operta *ὀμοπλάται* Græci nominant. Ea in summis verticibus sinuata, ab his triangula, paulatimq̃ue lateſcentia ad spinam tendunt, & quo latiora quaque partē sunt, hoc hebetiora. Atque ipsa quoque in imo cartilaginosa, posteriore partē velut innatant, quoniam nisi in summo nulli ossi inhærescunt. Ibi verò validis musculis nervisq̃ue constricta sunt. At à summa costa paulo interioris quā vbi ea media est, os excrescit, ibi quidem tenue, procedens verò quo propius lato scapularū ossi fit, eo plenius latiusq̃ue & paulatim in exteriora curuatur: quod propius altera verticis partē modice intumescēs, sustinet iugulum. Id autem ipsum recuruum ac neque inter durissima ossa numerandum, altero capite in eo quod posui, altero in exiguo sinu pectoralis ossis insidit: paulumq̃; motu brachij mouetur, & cum lato osse scapularum infra caput eius, nervis & cartilagini connectitur. Hinc humerus incipit, extremis vtrinque capitibus tumidus, mollis, sine medulla, cartilaginofus: medius teres, durus, medullosus, leniter gibbus, & in priorē & posteriorem, interiorem, & exteriorē partē. Prior autē pars est, quæ à pectore est, posterior quæ ab scapu-

lis, interior quæ ad latus tendit, exterior quæ ab eo recedit, quod ad omnes articulos pertinere in vterioribus patebit: Superius autem humeri caput rotundius, quàm cætera ossa, de quibus adhuc dixi, verticulis scapularum ossibus paruo excessu inseritur, ac maiore parte ex transitu nervis deligatur. At inferius duos processus habet inter quos quod medium est, magis etiam extremis partibus sinuatur. Quæ res sedem brachio præstat, quod constat ex ossibus duobus. Radius, quem *ῥαδιὸς* Græci appellant, superior breviorq; & primo tenuior, rotundo, & leniter cauo capite exiguum humeri tuberculum recipit, atque ibi nervis & cartilagine continetur. Cubitus inferior longiorq; & primo plenior in summo capite, duobus quasi verticibus extantibus in sinu humeri, quem inter duos processus eius esse propositum, se inserit. Primo verò duobus radiis brachii ossa iuncta paulatim dirimuntur, rursusq; ad manum coeunt, modo crassitudinis mutato. Siquidem ibi radius plenior, cubitus admodum tenuis est. Dein radius in caput cartilaginofum consurgens, in verticem eius sinuatur. Cubitus rotundus in extremo, parte altera paulum procedit. Ac ne sæpius dicendum sit, illud ignorari non oportet, plurima ossa in cartilaginem desidere, nullum articulum non sic finiri: neque enim aut mori posset, nisi levi inniteretur, aut cum carne nervisq; coniungi, nisi ea media quedam materia committeret. In manu verò prima palmæ pars ex multis minutisq; ossibus constat, quorum numerus incertus est. Sed oblonga omnia & triangula structura quadam inter se connectuntur, cum inuicem superior alterius angulus, alterius planities sit, eoq; sit ex his vnus ossis paulum in interiora concaui species. Verùm ex manu duo exigui processus in sinus radij coniiciuntur. Tum ex altera parte recta quinque ossa ad digitos tendentiæ

palmam explent, à quibus ipsi digiti oriuntur, qui
 ex ossibus ternis constant, omniumque eadem ratio
 est. Interius os in verticem sinuatur, recipitque ex-
 terioris exiguum tuberculum, neruique ea conti-
 nent, à quibus orti ungues indurescunt. Ideoque non
 ossi, sed carni magis radicibus suis inhaerent. Ac su-
 periores quidem partes sic ordinatae sunt. Ima vero
 spina in coxarum osse desidit, quod transversum lon-
 geque valentissimum, vulvam, vesicam, rectum in-
 testinum tuetur, idque ab exteriori parte gibbum, ad
 spinam resupinatum, à lateribus, id est, in ipsis co-
 xis sinus rotundos habet: à quibus oritur os, quod
 pectinem vocant, idque super intestina sub pube trans-
 versum ventrem firmat, rectius in viris, recurva-
 rum magis in exteriora in foeminis, ne partum pro-
 hibeat. Inde foemina oriuntur, quorum capita rotun-
 diora etiam quam humerorum sunt, cum illa ex cæ-
 teris rotundissima sint. Infra vero duos processus à
 prioris & à posteriore parte habent. Dein dura, &
 medullosa & ab exteriori parte gibba: rursus ab in-
 ferioribus quoque capitibus intumescunt. Superio-
 ra insinus coxae, sicut humeri in ea ossa, quae scapu-
 larum sunt, coniiciuntur, tum infra introitus leniter
 tendunt, quo aequalius superiora membra sustineant.
 Atque in eo inferiora quoque capita media sinuan-
 tur, quo facilius excipi à cruribus possint. Quae
 commissura, osse paruo, molli, cartilaginoso tegitur,
 patellam vocant. Haec super innatans, nec vlli ossi
 inhaerens, sed carne & nervis deligata, pauloque ma-
 gis ad femoris os tendens, inter omnes crurum fle-
 xus iuncturam tuetur. Ipsum autem crus est ex ossi-
 bus duobus. Etenim per omnia femur humero, crus
 vero brachio simile est: adeo ut habitus quoque &
 decor alterius ex altero cognoscatur, quod ab ossi-
 bus incipiens, etiam in carne responderet. Verum al-
 terum os ab exteriori parte supra positum est, quod

ipsum quoque Sura rectè nominatur. Id breuius; supraq; tenuius ad ipsos talos intumescit. Alterum à priore parte positum, cui Tibiæ nomen est, longius & in superiore parte plenius, solam cum femoris in inferiore capite committitur, sicut cum humero cubitus. Atque ea quoque ossa infra supraq; coniuncta media, ut in brachio dehiscunt. Excipitur autem crus infra ossa ex transverso talorum, idq; ipsum super os calcis situm est, quod quadam parte sinuatur, quadam excessus habet, & procedentia ex talo recipit, & in linum eius inseritur. Idq; sine medulla durum, magisque in posteriorem partem proiectum, teretè ibi figuram repræsentat. Cætera ossa pedis ad eorū quæ in manu sunt, similitudinem instructa sunt. Plantæ palmis, digiti digitis, ungues unguibus, respondent.

Ossa vitiata & corrupta quibus signis cognoscantur, & qua ratione curentur. CAP. II.

OMne autem os, ubi iniuria accessit, aut vitiatum, aut finditur, aut frangitur, aut foratur, aut colliditur, aut loco mouetur. Id quod vitiatum est, primo ferè pingue fit, deinde vel nigrum vel cariosum. Quæ super natis grauib; vlceribus aut fistulis, hisq; vel longa vetultate, vel etiam cancro occupatis eueniunt. Oportet ante omnia os nudare vlcere exciso: & si latius eius vitiū est, quàm vlcus fuit, carnem subsecare, donec integrum os vndique pateat: tum id quod pingue est, semel iterumve satis est admoto ferramento adurere, ut ex eo statu secedat: aut eradere donec iam aliquid cruoris ostendatur, quæ integrius nota est. Nam necesse est aridum sit, id quod vitiatum est. Idem in cartilagine quoque læsa faciendum est. Siquidem ea quoq;

scalpello radenda est, donec integrum id sit, quod re-
 linquatur. Deinde si vel os, siue cartilago rasa est,
 nitro bene trito respergendum est. Neque alia fa-
 cienda sunt ubi caries, nigrities ve in summo osse est.
 Siquidem id vel paulo diutius eodem ferramento
 adurendum vel radendum est. Qui radit hæc, auda-
 cter imprimere ferramentum debet, ut & agat ali-
 quid, & maturius desinat. Finis est, cum vel ad albū
 os, vel ad solidum ventum est. Albo finiri ex nigritie
 vitium, soliditate quadam ex carie manifestū est. Ac-
 cedere etiam cruoris aliquid integro, supra dictum
 est. Si quando autem altius descenderit, utrumlibet
 dubium est. In carie quidem expedita cognitio est.
 Specillum tenne in foramen demittitur, quod magis
 minusve intrando, vel in summo cariem esse, vel al-
 tius descendisse testatur. Nigrities colligi quidem
 potest etiam ex dolore & ex febre. Quæ ubi medio-
 cris sunt, illa alte descendisse nō potest. Manifestior
 ramē adaucta terebra fit. Nā finis vitii est, ubi scobis
 nigra esse desit. Igitur si caries alte descendit, per
 terebram vrgenda crebris foraminibus est, quæ al-
 titudine vitium æquent. Tum in ea foramina demit-
 tenda candentia ferramenta sunt, donec inde siccum
 os ex toto fiat. Simul enim post hæc & resoluatur
 ab inferiore osse, quodcunque vitiatum est, & is si-
 nus carne replebitur: & humor aut nullus postea fe-
 retur, aut mediocris. Sin autem nigrities est, aut si
 caries ad alteram quoque partem ossis transit, opor-
 tet excidi. Atque idem in carie quoque ad alteram
 partem ossis penetrant fieri potest. Sed quod totum
 vitiatum, totum eximendum est. Si inferior pars in-
 tegra est, eatenus quod corruptum est, excidi de-
 bet. Item siue capitis, siue pectoris os, siue costa ca-
 riosa est, inutilis vitio est, & excidēdi necessitas est.
 Neque audiendi sunt, qui osse nudato, diem tertium
 expectant, ut tunc excidant. Ante inflammationem

enim tutius omnia tractantur. Itaque quantum fieri potest, eodem momento & cutis incidenda est, & os detegendum, & omni vitio liberandum est. Longeque perniciosissimum est, quod in osse pectoris est: quia vix etiam si recte cessit, curatio verum sanitatem reddit.

Quomodo os excidatur: & de Modiolo, & Terebra, ferramentis ad id paratis.

CAP.

III.

EXciditur verò os duobus modis. Si paruulum est, quod læsum est, modiolo, quem *χαλκίον* Græci uocant. Si spatiosum, terebris. Vtriusque rationem proponam. Modiolus ferramentum concavum teres est, imis oris ferratum, per quod medium clauus ipse quoque interiore orbe cinctus demittitur. Terebrarum autem duo genera sunt: Alterum simile ei, quo fabri utuntur. Alterum capituli longioris, quod ab acuto mucrone incipit, deinde subitò latius fit, atque iterum ab alio principio paulo minus quam equaliter sursum procedit. Si vitium in angusto est, quod comprehendere modiolus possit, ille potius aptatur. Et si caries subest, medius clauus in foramen demittitur. Si nigrities, angulo scalpri sinus exiguus fit, qui clauum recipiat, ut eo insistente circumactus modiolus delabi non possit. Deinde is habena quasi terebra conuertitur. Estque quidam premendi modus, ut & foretur, & circumagatur, quia si leuiter imprimitur, parum proficit. Si grauiter, non mouetur. Neque alienum est instillare paulum rosæ, vel lactis, quo magis lubrico circumagatur. Quod ipsum tamen si obtusius est, aciem ferramenti hebetat: at ubi iam iter modiolo pressum est, medius clauus educitur, & ille per se agitur. Deinde cum sanitas inferioris partis scobe cognita est,

modiolus remouetur: at si latius vitium est, quam ut illo comprehendatur, terebra res agenda est. Ea foramen fit in ipso sine vitiosi ossis atque integri, de inde alterum non ita longè, tertiumque donec totus is locus qui excidendus est his cauis cinctus sit, atque ibi quoque quatenus terebra agenda sit, scobis significat. Tunc excisiorius scalper ab altero foramine ad alterum maleolo adactus, id quod inter utrumque medium est, excidit: ac sic ambitus similis ei fit, qui in angustiore orbè modiolò imprimitur. Vtro modo verò id circumductum est, idem excisiorius scalper in osse corrupto planus summam quamque restam læsit, donec integrum os relinquatur. Vix unquam nigrities integrum, caries per totum os perumpit, maximeque vbi vitiata caluaria est. Id quoque signi specillo significatur, qui depressus in id foramen, quod infra solidam sedem habet, & ob id renitens aliquid inuenit, & madens exit. Si peruium inuenit, altius descendens inter os & membranam nihil oppositum inuenit, educiturque siccus, non quoniam non subsit aliqua vitiosa sanies, sed quoniam ibi ut in latiore sede diffusa sit. Siue autem nigrities, quam terebra detexit, siue caries, quam specillum ostendit, os transit, modioli quidem vsus ferè superuacuum est, quia latius pateat necesse est, quod iam alte processit. Terebra verò ea, quam secundo loco posui, vtendum, eaque ne nimis incalescat, subinde in aqua frigidam demittenda est. Sed tum maiore cura agendum est, cum iam aut simplex os dimidium perforatum est, aut in duplici, superius. Illud, spatium ipsum: hoc sanguis significat. Ergo tum lentius ducenda habena suspendendaque magis sinistra manus est, & sæpius attolenda, & foraminis altitudo considerata: ut quando cunque os perumpitur, sentiamus: neque periclitemur, ne mucrone cerebri membrana lædatur. Ex quo graues inflammationes cum periculo mortis

lo mortis oriuntur. Factis foraminibus eodem modo media sæpe, sed multo circumspectius excidenda sunt, ne forte angulus scalpri eandem membranam violer, donec fiat aditus, per quem membranæ custos immittatur *μωιγγρολανε* Græci vocant. Lamina ænea est, firma, paulum resima ab exteriori parte læuis, quæ demissa est, vt exterior pars eius cerebro propior sit, subinde ei subiicitur, quod scalpro discutendum est: ac si excipit eius angulum, vltra transire non patitur, eoq; & audacius & tutius scalprum mal leolo subinde medicus ferit, donec excisum vndique os eadem lamina leuetur, tolliq; sine vlla noxa cerebri potest. Vbi totum os eiectum est, circumradendæ leuandæq; sunt oræ, & si quis scobis membranæ infedit, colligendum. Vbi superiori parte sublata, inferior relicta est, non ora tantum, sed os quoq; totum lauandum est, vt sine noxa postea cutis incresecat, quæ aspero osse innascens protinus non sanitatem, sed nouos dolores mouet. Patefacto cerebro, qua ratione agendum sit, dicam, cum ad fracta ossa peruenero. Si basis aliqua seruata est, super imponenda sunt medicamenta non pinguia, quæ recentibus vulneribus accommodantur, supraq; imponenda lana succida oleo atque aceto madens. Vbi tempus processit, ab ipso ore caro incresecit, eaque factum manum linum complet. Si quod etiam os adustum est, a parte sana recedit: subitq; inter integram atque emortuam partem caruncula, quæ quod abscessit, expellat, eaq; fere quia testa tenuis & angusta est, squama est, id *λεπις* a Græcis nominatur. Potest etiam euenire, vt ex ictu neq; findatur os, neq; perfringatur, sed summum tamen collidatur, exasperetur. Quod vbi incidit, radi & lauari satis est. Hæc quamuis maxime fiunt in capite, tamen cæteris quoque ossibus communia sunt, vt ubicunque idem incidet, eodem remedio sit vtendum. Atq; cum ea facta, fissa, forata, collisa sunt, quasdam proprias in

Cc

singulis generibus, quasdam communes in pluribus curationes requirunt. De quibus protinus dicam, initio ab eadem caluaria accepto.

De caluariæ curatione. CAP. IIII.

Igitur ubi ea pertusa, protinus requirendum est, num bilem is homo vomuerit, num oculi eius obcæcati sint, num obmutuerit, num per nares auresve sanguis ei effluxerit, num conciderit, num sine sensu quasi dormiens iacuerit. Hæc enim non nisi os se fracto eveniunt. Atq; ubi inciderunt, scire licet necessariam, sed difficilem curationem esse. Si verò etiā torpor accessit, si mens non constat, si nervorum vel resolutio vel distētio secuta est, verisimile est etiam cerebri membranam esse violatam, eoq; in angusto magis spes est. At si nihil horum secutum est, potest etiam dubitari, an os fractum sit. Et protinus considerandum est, lapide an ligno, an ferro, an alio telo percussum sit, & hoc ipso leni an aspero, mediocri an vastiore, vehemēter an leniter. Quia quo mitior ictus fuit, eo facilius os ei restitisse credibile est. Sed nihil tamē melius est, quàm certiore id nota explorare. Ergo quā plaga est, demitti specillum oportet, neq; nimis tenue, neq; acutum, ne cum in quosdam sinus naturales inciderit opinionem, fracti ossis frustra faciat, neq; nimis plenum, ne paruulæ rimulæ fallant. Vbi specillum ad os venit, nihil nisi lene & lubricum occurrit, integrum id videri potest. Si quid asperi est, utiq; quā futuræ non sint, fractum os esse testatur. A futuris se deceptum esse, Hippocrates memorix prodidit, more scilicet magnorum virorum, & fiduciam magnarum rerum habentium. Nam leuia ingenia, quia nihil habent, nihil sibi detrahunt. Magno ingenio, multaq; nihilominus habituro, conuenit etiā simplex veri erroris confessio, præcipueq;

in eo ministerio quod utilitatis causa posteris traditur, ne qui decipiantur eadem ratione, qua quis ante deceptus est. Sed hæc quidem alioquin memoria magni professoris, uti interponeremus, effecit. Potest autem futura eo nomine fallere, quæ æque aspera est, ut aliquis hanc esse, etiam si rima est, existimet eo loco, quo subesse hanc verisimile est. Ergo eo nomine decipi non oportet, sed os aperire tutissimum est. Nam neque utique certa sedes, ut supra posui, futurarum est, & potest idem, & naturaliter commissum, & ictu fissum esse, iuxta ve aliquid fissum habere. Quin aliquid etiam, ubi ictus fuerit vehementior, quamvis specillo nihil inuenitur, tamen aperire commodius est. At si ne tum quidem rima manifesta est, inducendum super os atramentum scriptorium est, deinde scalpro id detrahendum. Nigritiem enim continet, si quid fissum est. Solet etiam evenire, ut altera parte fuerit ictus, & os altera fiderit. Itaque si graviter aliquis percussus est, si mala indicia sub cute sunt, neque ea parte quæ cutis discussa est, rima reperitur, non incommodum est parte altera considerare, nunquam locus mollior sit, & tumeat, eumque aperire. Si quidem ibi fissum os reperietur, nec tamen magno negotio cutis sanescit, etiam si frustra defecta est. Os fractum nisi succursum est, grauib. inflammationibus afficit, difficiliusque postea tractatur. Raro, sed aliquando tamen evenit, ut os quidem totum integrum maneat, intus vero ex ictu vena aliqua in cerebri membrana rupta aliquid sanguinis mittat, isque ibi cretus magnos dolores moueat, oculos quibus obcæcet. Sed ferè contra id dolor est, & eo oleo cute incisa pallidum os reperitur. Ideoque id quoque os excidendum est. Quacumque autem de causa curatio hæc necessaria est: si nondum satis cutis patefacta est, latius aperienda est, donec quicquid læsum est in conspectu sit. In quo ipso videndum est, ne quid ex ipsa

membranula quæ sub cute caluariam cingit, superos
 relinquitur. Siquidem hæc scalpro terebrisve lace-
 rata, vehementes febres cum inflammationibus ex-
 citat. Itaque eam commodius est ex toto ab osse di-
 duci. Plagam, si ex vulnere est, talem necesse est ha-
 beamus, qualem acceperimus. Si manu facienda est,
 ea fere commodissima est, quæ duabus transuersis li-
 neis literæ X. figuram accepit, vt deinde à singulis
 procedentibus singulis cutis subsequatur. Inter quæ
 si sanguis fertur, spongia subinde in aceto tincta co-
 hibendus est, occupandusq; obiectis linamentis, &
 caput altius excitandum. Neque id vitium vllum me-
 tum, nisi inter musculos, qui tempora continent, ad-
 fert, sed ibi quoq; nihil tutius fit. In omni verò fisso
 fractove osse protinus antiquiores medici ad ferra-
 menta veniebant, quibus id exciderent. Sed multo
 melius est, antè emplastra experiri, quæ caluariæ
 causa componuntur. Eorumque aliquid oportet ex
 aceto mollium, per se super fissum fractumve os im-
 ponere, deinde super id aliquanto latius quam vul-
 nus est, eodem medicamento illitum linteolum, &
 præterea succidam lanam aceto tinctam. Tunc vul-
 nus deligare, & quotidie resolvere, similiterq; cura-
 re vsque ad diem quintum. A sexto die, etiam vapore
 aquæ calidæ per spongiam fouere, cætera ex eadem
 facere. Quod si caruncula increfcere cœperit, & fe-
 bricula aut soluta erit, aut leuior, & cupiditas cibi
 reuerterit, satisque somni accedet, in eodem medica-
 mento erit perseverandum. Procedente deinde tem-
 pore, emolliendum id emplastrum adiecto cerato ex
 rosa factò, quo facilius carnem producat. nam per se
 reprimendi vim habet. Hac ratione sæpe rimæ callo
 quodam implentur, estq; ea ossis velut cicatrix, & la-
 tius fracta ossa, si qua inter se non cohærebant, eo-
 dem callo glutinantur, estque aliquanto melius vela-
 mentum cerebro, quam caro quæ exciso osse incre-

fcit. Si verò sub prima curatione febris intenditur, breuesq; somni & iidem per somnia tumultuosi sunt vlcus madet, neque alitur, & in ceruicibus glandulae oriuntur, magni dolores sunt, cibiq; super hæc fastidium increfcit, tum demum ad manum scalprumque veniendum est. Duo verò sub istu caluaria pericula, sunt, ne vel findatur, vel medium defidat: si fissum est, possunt orae esse compressæ, vel quia altera super alteram excessit, vel etiam quia vehementer rursus se commiserunt. Ex quo euenit, vt humor ad membranam quidem descendat, exitum verò non habeat, ac si eam irriter, & graues inflammationes moueat. Vbi medium defedit, eandem cerebri membranam os vterget, interdum etiã ex fractura quibusdam velut aculeis pungentibus. His ita succurrendum est, vt tamẽ quàm minimum ex osse dematur. Ergo si ora alteri insedit, satis est id quod eminet, plano scalpro excidere, quo sublato iam rima hiat quantum curationi satis est. At si orae inter se cõprimuntur, à latere eius interposito digiti spatio terebra foramen faciendũ est, ab eoq; scalper duabus lineis, ad rimam agendus ad similitudinem C literæ, sic vt vertex eius à foramine basis ad rimas sit. Quòd si rima longius pater, ab altero foramine rursus similis sinus fieri debebit, & ita nihil latens in eo osse concauum est, abundeque exitus datur intus lædentibus. Ne si fractum quidem os defedit, totum excidi necesse est. Sed siue totum perforatum est, & ab alio ex toto recessit, siue circūpositæ caluariæ inhæret exigua parte, ab eo quod naturaliter se habet, scalpro diuidendum est: deinde in eo quod defedit iuxta rimam quam fecimus, foramina addenda sunt. Si in angusto noxa est, duo: si latius patet, tria: septaque eorum excidenda: & tum scalper vtrinque ad rimam agendus, sic vt luna tum sinum faciat, imaq; pars eius intus ad fracturam, cornua ad os integrum spectent. Deinde, si qua labent, & ex facili

remoueri possunt, forfice ad id facta colligenda sunt, maximeq; ea quæ acuta membranam infestant. Si id ex facili fieri non potest subiicienda lamina est, quæ custodem eius membranæ esse proposui, & super eam quicquid spinosum est, & intus eminet, excidendum est: eadem lamina quicquid deorsum insedit attollendum. Hoc genus curationis efficit, ut qua parte fracta ossa tamen inhaerent, solidentur: qua parte abrupta sunt, sine ullo tormento sub medicamento tempore excidat, spatiumq; inter hæc satis illi magnum ad extrahendum saniem relinquatur, plusq; in osse propugnaculi cerebrum habeat, quam habiturum fuit eo exciso. His factis, ea membrana acri aceto respergenda est, ut siue aliquid sanguinis ex ea profluit, cohibeatur: siue intus concretus cruor remanet, discutiat. Tum idem medicamentum eodem modo, quæ suprapositus est, mollium, ipsi membranæ imponendum est. Cæteraq; eodem modo facienda sunt, quæ ad linteolum illitum & lanam succidam pertinent, collocandusq; is loco in tepido, & curandū quotidie vulnus, bis etiam æstate. Quod si membrana per inflammationem intumuerit, infundenda erit rosa tepida. Si vsq; eò tumebit, ut super ossa quoq; emineat, coercebit eam bene trita lenticula, vel folia vitis contrita, & cum recenti vel butyro vel adipe anserino mista, cerui xq; molliri debebit, liquido cerato ex irino facto. At si parum pura membrana videbitur, par modus eius emplatri & mellis miscendus erit, idq; super infundendum, eiusq; continendi causa vnum aut alterum linamentum iniiciendum, & super linteolo cui emplastrum illitum sit, contegendum. Vbi plus pura membrana est, eadem ratione adiciendum emplastro ceratum, ut carnem producat. Quod ad abstinentiam verò & primos vltioresque cibos portionesque pertinet, eadem quæ in vulneribus præcepti, seruanda sunt, eò magis, quò periculosius hæc pars

afficitur. Quinetiam cū iam nō solūm sustineri, sed ali his quoq; apparebūt, tamē erunt vitanda quæcun que mandenda sunt, item fumus, & quicquid excitat sternutamentum. Spem verò certam faciunt membrana mobilis ac sui coloris, caro increfcescens rubicūda, facilis motus maxillæ atque ceruicis. Mala signa sunt, membrana immobilis, nigra, vel liuida, vel aliter coloris corrupti, dementia, acris vomitus, nervorum vel resolutio, vel distentio, caro liuida, maxillarum rigor, atque ceruicis. Cæteraquæ quæ ad somnū, cibi desiderium, febrem, puris colorem attinent, eadem quæ in cæteris vulneribus, vel salutaria vel mortifera sunt: vbi bene res cedit, incipit ab ipsa membrana vel si os eo loco duplex est, inde quoque caro increfcescere, eaque id quod inter ossa vacuum est, replet nōnunquam etiam super caluariam excrescit. Quod si incidit, inspergenda squama æris est, vt id reprimat, cohibeatq; ea carni superdando, quæ ad cicatricem perducant. Omnibusque ea locis commode inducitur, excepta frontis ea parte, quæ paulū super id est, quod inter supercilia est. Ibi enim vix fieri potest, vt per omnem ætatem sit exulceratio, quæ linteolo medicamentum habente contegenda sit. Illa vtrique capite fracto seruanda sunt, vt donec iam valida cicatrix erit, soluenda vitentur, frequens balneum, maior vini modus.

De narium fractarum curatione. CAP. V.

IN naribus verò & os & cartilago frangi: solet, & quidem modo aduersa, modo à latere si aduersa fracta sunt, alterumve ex his, nares desidunt, difficulter spiritus trahitur: si à latere os fractum est, is locus cauus est: si cartilago, in alteram partem nares declinantur. Quicquid in cartilaginem incidit, excitandum leniter est, aut subiecto specillo, aut duobus

Cc iiij

COR. CELSI

digitis vtrinq̃ue compressis. Deinde in longitudinē
 implicata linamenta & molli pellicula cinctā circum
 sutāque, intus adiiciēda sunt. Aut eodem modo com
 positum aliquid ex arido penicillo. Aut grandis pin
 na, gummi vel fabrili glutine illita, & molli pellicula
 circumdata, quæ desidere cartilaginem non linat. Sed
 si aduersa ea fracta est, æqualiter vtraque naris im
 plenda est. Si à latere, crassius esse debet ab ea parte
 in qua nasus iacet, ab altera tenuius, id quod inferi
 tur. Extrinsecus autem circumdanda habena est mol
 lis, media illita mistis inter se similia & thuris fuligi
 ne, eaque vltra aures ducenda, & fronti duobus capi
 tibus agglutinanda est. Id enim corpori quasi gluten
 inhærescit, & cum induruit, nares commode conti
 net. Sin quod intus inditum est lædit, sicut maxime
 fit, vbi interior cartilago perfracta est, excitatæ na
 res eadem tantummodo habena continēdæ sunt. De
 inde, post quatuordecim dies id ipsum demēdum est.
 Resoluitur autem aqua calida, eaq̃; tum is locus quo
 tidie fouendus est. Sin os fractum est, id quoq̃; digi
 tis in suam sedem reponēdum est: atq̃; vbi aduersum
 id ictum est, vtraq̃; naris implenda est: vbi à latere, ea
 inquam os impulsū est, imponendūq̃; ceratum;
 & paulo vehementius deligandum est quia callus eo
 loco non ad sanitatem tantummodo, sed etiam ad tu
 morem increfcit. A tertio die fouendum id aqua ca
 lida est, tantoq̃; magis, quanto propius esse sanitati
 debet. Quod si plura erunt fragmenta, nihilominus
 extrinsecus singula in suas sedes digitis erunt com
 pellenda, imponendaq̃; extrinsecus eadem habena,
 & super eam ceratum, neque vltra fascia adhibenda
 est. At si quod fragmentum vndique resolutum cum
 cæteris non glutinabitur, intelligetur quidem ex hu
 more, qui multus ex vulnere feretur, vossella verò ex
 trahetur. Finitisq̃; inflammationibus, imponetur ali
 quod medicamentum ex iis, quæ leniter reprimunt.

Peius est, vbi aut ossi, aut cartilagini fractæ, cutis quoque vulnus accessit. Id admodum raro fit: si incidit illa quidem, nihilominus eadem ratione in suas sedes excitanda sunt. Cui verò superimponendum emplastrum aliquod ex his, quæ recentibus vulnibus accommodata sunt, sed insuper nullo vinculo deligandum est.

De aurium fractarum curatione. CAP. VI.

IN aure quoque interdum rumpitur cartilago: quod si incidit, antequam pus oriatur, imponendum glutinans medicamentum est. Sæpe enim suppurationem prohibet, & aurem confirmat. Illud & in hac, & in naribus ignorari non oportet: non quidem cartilaginem ipsam glutinari, circa tamen carnem increescere, solidariq; eum locum. Itaque si cum cute cartilago rupta est, cutis vtrinque sinitur. Nunc autem de ea dico, quæ cute integra frangitur. In ea verò si iam pus natum est, aperienda altera parte cutis, & ipsa cartilago contrâ lunata plaga excidenda est. Deinde vtendum est medicamento leniter supprimente, quale lycium est aqua dilutum, donec sanguis fluere desinat. Tum imponendum linteolum cum emplastro: sic vt pingue omne vitetur, & à parte posteriore lana mollis auri subiicienda est, quæ quod est inter hanc & caput compleat. Tum ea leniter deliganda est, & à tertio die vapore, vt in naribus posui, fouenda. Atque in his quoque generibus abstinentia primi temporis necessaria est, donec inflammatio finiatur.

De maxillæ fractæ curatione, deq; quibusdam ad omnia ossa pertinentibus. CAP. VII.

AB his ad maxillam venturus, indicanda quædam puto communiter ad omnia ossa pertinentia, ne sæpius eadem dicenda sint. Omne igitur os modò rectum vt lignum in longitudinem finditur, modò frangitur transuersum, interdum obliquum: atque id ipsum nonnunquam retusa habet capita, nonnunquam acuta. Quod genus pessimum est, quia neque facile committuntur, quæ nulli retuso innituntur, & carnem vulnerant, interdum neruum quoque aut musculum. Quinetiam aliquando plura fragmenta à fragmento, hunc. Sed in alijs quidem ossibus ex toto sæpe fragmentum à fragmento recedit. Maxillæ verò semper aliqua parte etiam vexata, ossa inter se coherent. Igitur in primis digitis duobus vtrinque prementibus, & ab ore, & ab cute omnino ossa in suam sedem compellenda sunt. Deinde si transuersa maxilla fracta est, sub quo casu ferè dens super proximum dentem excedit, vbi ea in suam sedem collocata est, duo proximi dentes: aut si hi labant, vteriores inter se seta deligandi sunt. Id in alio genere fracturæ superuacuum est. Cætera eadem faciendi sunt. Nam linteolum duplex madens vino & oleo superiniiciendum, cum eadem simila, & eadem thuris fuligine est. Deinde aut fascia, aut mollis habena media in longitudinem incisa, vt vtrinque mentum complectatur, & inde capita eius supra caput adducta ibi deligantur. Illud quoque ad omnia ossa pertinens dictum erit, famem primum esse necessariam: deinde à die tertio humidum cibum, sublata inflammatione paulo plenior, eumq; qui carnem alat, per omne tempus vinum esse alienum. Deinde tertio die resolui debere: foueri que per spongiam vapore aquæ calidæ, eademq; quæ primò fuerunt superdari. Idem die quinto fieri, & donec inflammatio finiatur, quæ vel octauo, die, vel septimo fere resoluitur. Ea sublata rursus ossa esse tractanda, vt si quod

fragmentum loco suo non est, reponatur. Neque id esse soluendum, nisi duæ partes eius temporis, intra quod quæque ossa conferuntur, transierint. Fere verò intra quartumdecimum & vnum & vigesimum diem sanescunt, maxilla, male, iugulum, pectus, latus, os scapularum, costæ, spina coxarum, os tali, calx, manus, planta. Inter vigesimum & trigessimum diem crura, brachiaq;. Inter septimum & vigesimum & quadregesimum, humeri & femina. Sed in maxilla illud quoque adiciendum est, quod humidus cibus diu assumendus est. Atque etiam cum tempus processit, in lagano, similibusq; alijs perseverandum, donec ex toto maxillam callus firmarit. Item utique primis diebus habendum silentium.

De Iuguli fracti curatione. CAP. VIII.

Iugulum verò si transversum fractum est, nonnunquam per se rursus recte coit, & nisi mouetur, sanari sine iunctura potest. Nonnunquam verò, maximeq; vbi motum est, elabitur, fereque id quod à pectore sub id quod ab humero est, in posteriorem partem inclinatur. Cuius ea ratio est, quod per se non mouetur, sed cum humeri motu consentit. Itaque ea subsistente, sub id humerus agitur. Raro verò admodum in priorem partem iugulum inclinatur, adeo ut magni professores nunquam se vidisse memoriam maderint. Sed locuples tamen eius rei autor Hippocrates est. Verum ut dissimilis vterque casus est, sic quædam dissimilia requirit. Vbi ad scapulas iugulum tendit, simul extra manu planè propellendus in posteriorem partem humerus est, & illud in priorem attrahendum. Vbi ad pectus conuersum est, ipsum quidem retro dandum, humerus autem in priorem partem adducendus est. Ac si is inferior est, non id quod à pectore est, deprimendum est, quia immobile est, sed

COR. CELSI

humerus ipse attollendus. Si casu superior est, id quod à pectore est, implendum lana, & humerus ad pectus deligandus est. Si acuta fragmenta sunt, incidi contra cutis debet: ex ossibus ea, quæ carnem vulnerant, præcidenda sunt: tunc retusæ ossa committenda sunt. Si quod ab aliqua parte eminet, opponendum ei triplex linteolum est, in vino & oleo tinctum. Si plura fragmenta sunt, excipienda sunt ex ferula facto canaliculo, eodemque intus incerato, ne fascia ducatur, quæ iugulo composito circumdanda est sepius potius, quam valentius. Quod ipsum quoque in omnibus ossibus fractis perpetuum est. A dextro vero iugulo, si id fractum est, ad alam sinistram, à sinistro ad dexteram. Rursusque sub ala sua fasciari debet. Post hæc si iugulum ad scapulas inclinatum est, brachium ad latus: si in partem priorem, ad cervicem deligandum est. Supinusque homo collocandus, cæteraque eadem facienda, quæ supra comprehensa sunt. Sunt verò plura ossa ferè immobilia, vel dura, vel cartilaginosa, quæ vel franguntur, vel forantur, vel colliduntur, vel finduntur, ut malæ, pectus, latus, os scapularum, costæ spina costarum, os tali, calx, manus, planta. Horum omnium eadem curatio est. Si supra vulnus est, id suis medicamentis nutriendum est. Quo sanescente rimas quoque ossis, aut si quod ferrumen est, callus implet. Si cutis integra est, & os læsum esse ex dolore colligimus, nihil aliud, quam quiescendum, imponendumque ceratum est, & leniter deligandum, donec sanitate ossis dolor finiatur.

De costarum fractarum curatione. CAP. IX.

Propriè tamen quædam de costa dicenda sunt, quia iuxta viscera est, grauioribusque periculis is locus expositus est. Hæc quoque igitur interdum sic finditur, ut ne summum quidem os, sed in-

terior pars eius, quæ rara est, lædatur: interdum sic, vt eam totam is casus perruperit. Si tota fracta non est, nec sanguis expuitur, nec febricula sequitur, nec quicquam suppurat, nisi admodum raro, nec dolor magnus est, tactu tamen is locus leniter indolescit, abunde est eadem quæ supra scripta sunt, facere, & à media fascia incipere deligare, ne in alterutram partem hæc cutem inclinet. Ab vno verò & vigesimo die, quo vtique os esse debet glutinatum, id agendū. Cibis vberioribus est vtendum, vt corpus quam plenissimum fiat, quo melius os vestiatur, quod illo loco tenerum adhuc iniuriæ sub tenui cute expositum est. Per omne autem tempus curationis vitandus clamor, sermo quoque, tumultus, ira, motus vehemens corporis, fumus, puluis, vt quicquid vel tussim vel sternutamentum mouet, ne spiritum quidem magnopere continere expedit. Ad si tota costa perfracta est, casus asperior est. Nam & graues inflammationes, & febris & suppuratio, & sæpe vitæ periculum sequitur, & sanguis spuitur. Ergo si vires patiuntur, ab eo brachio quod super eam costam est, sanguis mittendus est. Si non patiuntur, alius tamen sine vlllo acri ducenda est, diutiusque inedia pugnandum. Panis verò ante septimum diem non assumendus, sed vna sorbitione viuendum, imponendumque ei loco ceratum ex lino factum, cui cocta quoque resina adiecta sit, aut Polyarchi malagma, aut panaces ex vino & rosa & oleo, superque imponenda lana succida mollis, & duæ fasciæ à mediis oris, minimeque astrictæ. Multo verò magis omnia vitanda, quæ supra posui, adeo, vt ne spiritus quidem sapius mouendus sit. Quod si tussis infestabit, ad id potio sumenda erit, vel ex trixagine, vel ex ruta, vel ex herba stœchade, vel ex cumino & pipere. Grauioribus verò doloribus vrgentibus, cataplasma imponi quoque conueniet vel ex lolio, vel ex hordeo, cui pinguis fici ter

ria pars sit adiecta. Et id quidem interdiu superiacebit. Noctū verò idem aut ceratum, aut malagma, aut panni, quia potest cataplasma decidere. Ergo quotidie quoque resoluetur, donec iam cerato aut malagmate possumus esse contenti, & decem quidem diebus extenuabitur fame corpus, ab undecimo verò ali incipiet. Ideoque etiam laxior quam primo fascia circumligabitur, fereque ea curatio ad quadragesimum diem perueniet: quæ si modus erit suppurationis, plus malagma quam ceratum ad digerendum proficiet. Si suppuratio vicerit, neque per quæ supra scripta sunt discuti potuerit, omnis mora vitanda erit, ne os infra vitietur: sed qua parte maxime tumebit, demittendum erit candens ferramentum, donec ad pus perueniat, idque effundendum. Si nusquam caput se ostendit, vbi maxime pus subit, sic intelligimus: creta cimolia totum locum illinumus, & siccat patiemur: quo loco maximè humor in ea perseverauit, ibi pus proximum erit, eaque vri debebit. Si latius aliquid abscedet, duobus aut tribus locis erit perforandum erit linamentum, aut aliquid ex penicillo, quod summum lino sit deuinctum, vt facile educatur. Reliqua eadem, quæ in cæteris adustis facienda sunt. Vbi purum erit vlcus, ali corpus debebit, ne tabes perniciofa futura id malum subsequatur. Nonnunquam etiam leuius ipso osse adfecto, & inter initia neglecto, non pus, sed humor quidam muccis similis, intus coit, mollescitque contra cutis, in qua simili vitione vtendum est.

De spinæ curatione:

IN spina quoque est quod proprie notemus. Nam si id ex vertebra excidit, aliquo modo fractum est locus quidem concavus fit, punctiones autem in eo sentiuntur, quia necesse est ea fragmenta spinosa

esse. Quo fit, vt homo in interiorem partem subinde nitatur. Hæc noscendæ rei causæ sunt. Medicamentis verò iisdem opus est, quæ plurima parte huius capitæ exposita sunt.

De humerorum, brachiorum, femorum, crurum, digitorum fractorum vel euulsorum communibus curationibus.

CAP.

X.

Similes rursus ex magna parte casus curationesque sunt humeris & femoribus. Communia etiã quædam humeris, brachiis, femoribus, cruribus digitis. Siquidem ea minime periculose media franguntur. Quo propior fractura capiti vel superiori vel inferiori est, eo peior est. Nam & maiores dolores adfert, & difficilius curatur. Ea maxime tolerabilis est simplex, transuersa: peior, vbi fragmenta, atque vbi obliqua: pessimum vbi eadem acuta. Nonnunquã autem fracta in his ossa in suis sedibus remanent: multo sæpius excidunt, aliudque super aliud effertur. Idque ante omnia considerari debet, & sunt notæ certæ. Si suis sedibus mota, resima, punctiõisq; sensum repræsentant, tactu inæqualia sunt. Si verò non aduersa, sed obliqua iunguntur, quod fit vbi loco suo non sunt, membrum id altero latere breuius est, & musculi eius tument. Ergo si hoc depressum est, proptinus id membrum oportet extendere. Nam nerui, musculique intenti per ossa contrahuntur, neque in suum locum veniunt, nisi illos per vim aliquis intendit. Rursus, si primis diebus id omissum est, inflammatio oritur. Sub qua & difficilè & periculose vis neruis adhibetur. Nam distentio neruorum, vel cancer sequitur, vel certum, vt diutis sime alatur, pus. Itaque si antè reposita ossa non sunt, postea reponenda sunt. Intendere autem digitum vel aliud quoque mem-

brum, si adhuc tenerum est, etiam vnus homo potest, cum alteram partem dextra, alteram sinistra prendit. Valentius membrum duobus eget, qui in diuersa contendunt. Si firmiores nerui sunt, vt in viris robustis, maximeque eorum fœminibus & cruribus euenit, habentibus quoque vel linteis fasciis vtrinque capita articulorum deliganda, & per plures in diuersa ducenda sunt. Vbi paulò longius quàm naturaliter esse debet, membrum vis fecit: tum demum ossa manibus in suam sedem compellenda sunt, indiciumque ossis repositi est, dolor sublatus. Et membrum alteri parti & quartum inuoluendum duplicibus triplicibusve pannis, & in vino & oleo tinctis, quos linteos esse commodius est. Ferè verò fasciis sex opus est. Prima breuissima adhibenda, quæ circa fracturam ter voluta sursum versus seratur, & quasi in cochlea serpat, satisque est eam ter hoc quoque modo circuire. Altera dimidio longiore, eaque qua parte os eminet, ab ea si totum æquale est, vnde libet super fracturam debet incipere priori aduersa, deorsumque tendere, atque iterum de fractura reuersa in superiore ultra priorum fasciam desinere. Super has iniciendum latiore linteo ceratum est, quod eas contineat, ac si qua parte os eminet, triplex ea pannus obiciendus, eodem vino & oleo madens. Hæc tertia fascia comprehendenda sunt, quartaque, sic vt semper insequens priori aduersa sit, & tertia tantum in inferiore parte, tres in superiore finiant, quia satius est sæpius circuire, quàm adstringi. Siquidem id quod astrictum est, alienatur, & cancro opportunum est: articulum autem quàm minime vincire opus est. Sed si iuxta hunc os fractum est, necesse est. Deligatum verò membrum in diem tertium continendum est. Eaque iunctura talis esse debet, vt primo die nihil offenderit, non tamen laxa visa sit, secundo laxior, tertio iam penè resoluta. Ergo rursum in membrum deligandum, adiciendaque

daque prioribus quinta fascia, iterum quinto resol-
uendum est, & sexto fasciis inuoluendum, sic vt tertia
& quinta infra, cæteræ suprà finiantur. Quotiescun-
que autem soluitur membrum, calida aqua fouendū
est. Sed si iuxta articulum fractura est, diu instillan-
dum vinum est, exigua parte olei adiecta, eadem-
que omnia facienda donec ab eo inflammatio solua-
tur, vel lenius quoque quàm ex consuetudine id mē-
brum fiat. Quod si septimus dies non dedit, certē
nonus exhibet. Tum facillime ossa tractantur. Rur-
sus ergo si parum commissa sunt, committi debent.
Si qua fragmenta eminent, in suas sedes reponenda
sunt. Deinde eodem modo membrum deligandum,
ferulæq; super accommodandæ sunt, quæ fissæ cir-
cumpositæq; ossa in sua sede contineant: & in quam
partem fractura inclinat, ab ea latior, valentiorq; fe-
rula imponenda est. Easq; omnes citra articulum
esse oportet resimas, ne hunc lædant, nec vltra astrin-
gi, quàm vt ossa contineant: & cum spatio laxentur,
tertio quoque die paulum habenis suis coartari: ac si
nulla prurigo, nullus dolor est, sic manere donec duæ
partes eius temporis quod os quoq; conseruet com-
pleantur, postea leuius aqua calida fouere, quia pri-
mo digeri materiam opus est, tum euocari. Ergo ce-
rato quoque liquido id leniter est vngendum, perfri-
candaq; summa cutis est, laxiusq; id deligandum est.
Tertio quoque die soluendum sic vt remota calida
aqua, cætera eadem fiant. Tantummodo singulæ fa-
sciae quoties resolutæ fuerint, subtrahantur.

De fracti humeri curatione.

Hæc communia sunt. Illa propria. Siquidem
humerus fractus, non sic, vt membrum aliud
intenditur. Sed homo collocatur alto sedili,
medicus autem humiliore aduersus. Vna fascia bra-
Dd

chium amplexa ex ceruice ipsius qui lēsus est, id sustineat. Altera ab altera parte super caput data, ibi accipit nodum. Tertia iuncto imo humero deorsum demittitur, ibi quoque capitibus eius inter se iunctis. Deinde ab occipitio ipsius: minister sub ea fascia quam secundo loco posui, correpto: si dexter humerus ducendus est, dextro: si sinister, sinistro brachio, demissum inter femina eius qui curatur baculum tenet: medicus super eam fasciam de qua tertio loco dixi palmam iniicit dextram: si sinister, sinistram si dexter humerus sumatur, simulq; alteram fasciam minister attollit, alteram premit medicus: quo fit, ut leniter humerus extendatur. Fasciis verò, si medium aut imum os fractum est, breuioribus opus est: si summum, longioribus, ut ab eo sub altera quoque ala per pectus & scapulas porrigantur. Protinus verò brachium cum deligatur, sic inclinandum est id quod afficit, ut ante fascias quoq; sic figurandum sit: ne postea suspensum aliter, aliter cum deligabatur, humerum inclinet. Brachioq; suspenso, ipse quoque humerus ad latus leniter deligendus est. Per quæ fit, ut minime moueatur, ideoq; ossa sic se habent, ut aliquis composuit. Cum ad ferulas ventum est, extrinsecus esse earum longissimæ debent, a lacerto breuiiores, sed sub ala breuissimæ. Sæpius eæ resoluendæ sunt, ubi in vicinia cubiti humerus fractus est, ne ibi nervi rigescant, & inutile brachium efficiant. Quoties solutæ sunt, fractura manu continenda, cubitus aqua calida fouendus, & molli cerato perfricandus, ferulæq; vel omnino non imponendæ contra eminentia cubiti, vel aliquanto breuiiores sunt.

De brachii fracti curatione.

AT si brachium fractum est, in primis considerandum est, alterum os, an vtrunque commi-

nutum sit, non quòd alia in eiusmodi casu curatio ad mouenda, sed primum, vt valentius extédatur, si utrūque os fractum est: quia necesse est minus neruos còtrahi altero osse integro, eosq; intendente. Deinde vt curiosius omnia incontinendis ossibus fiant, si neutrum alteri auxilio est. Nam vbi alterum integrum est, plus opis in eo, quàm in fasciis, ferulisq; est. Deligari autem brachiū debet paulum pollice ad pectus inclinato. Siquidem is maxime brachii naturalis habitus sit, idq; inuolutum mitella commodissime excipitur, quæ latitudine ipsi brachio, perangustis capitibus collo iniicitur, atque ita commode brachium ex ceruice suspensum est. Idq; paulum supra cubiti alterius regionem pendere oportet. Quòd si ex summo cubito id factum sit, glutinare id vinciendo alienum est. Fit enim brachium immobile, ac si nihil aliud quàm dolori occursum est, idē qui fuit eius vsus est.

De crurum femorumq; fractorum curatione.

IN crure æquè ad rem pertinet, alterum saltem os integrum manere. Commune verò ei femoriq; est, quod vbi deligatum est, in canalem coniiciendum est. Is canalus ab inferiori parte foramina habet per quæ si quis humor excefferit, descendat: & à planta moram, quæ simul & sustineat eam, & delabi non patiatur: & à lateribus caua, per quæ loris datis morara quidem crus femurq; vt collocatum est, detineat. Esse etiam is debet à planta, si crus fractum est, circa poplitem: si femur, vsque ad coxam: si iuxta superius caput femoris, sic vt ipsa quoque ei coxa sit. Neque tamen ignorari oportet, si femur fractum est, fieri breuius, quia nunquàm in antiquum statum reuertitur, summisque digitis postea cruris eius infisti, sed multa tamen femori debilitas est, vbi fortunæ negligentia quoque accessit.

Dd

ij

3

Digitum satis est ad vnum furunculum post inflammationem deligari.

Communes curationes ad humeros, brachia, crura, femina, digitosque contrafactos, pertinentes.

His proprie ad singula membra pertinentibus, rursus illa communia sunt: primis diebus fames; deinde tum, cum iam increfcere callum oportet, liberalius alimentum, longa a vino abstinencia, fomentum aque calide, dum inflammatio est, liberale, cum ea defit, modicum. Tum etiam longior vltterioribus è liquido cerato membris, & mollis tamen vnctio. Neque protinus exercendum id membrum, sed ad antiquos vsus reducendum est. Grauius aliquanto est, cum ossis fracturæ carnis quoque vulnus accessit, maximeque si id musculi femoris aut humeri senserunt. Nam & inflammationes multo grauiores & promptiores cancros habent. Ac femur quidem, si ossa inter se cesserunt, ferè præcidi necesse est. Humerus verò quoque in periculum venit, sed facilius conseruatur. Quibus periculis etiam magis id expositum, quod iuxta ipsos articulos ictum est. Curiosius igitur agendum est, & musculus quidem per mediam plagam transtuersus præcidendus. Sanguis verò, si parum fluxit, mittendus: corpus inedia extenuandum, ac reliqua quidem membra lentius intendenda, & lenius in his ossa in suam sedem reponenda sunt. His verò neque intendi neruos, neque ossa tractari satis expedit. Ipsique homini permittendum est, vt sic ea collocata habeat, quemadmodum minime lædunt. Omnibus autem his vulneribus imponendum primo linamentum est vino madens, cui rosæ paulum admodum adiectum sit, cætera eadem deli-

Granda fasciis sunt aliquanto quàm vulnus latioribus,
laxius scilicet, quàm si ex ea plaga non esset, quanto
facilius & alienari & occupari cæcro vulnus potest,
numeris potius fasciarum id agendum est, vt laxæ
quoque æquè contineant. Quod in femore humero-
que sic fiet, si ossa forte rectè concurrerint: sin aliter
se habebunt, eatenus circundari fascia debebit, vt
impositum medicamentum contineat. Cætera eadem
quæ suprà scripti, facienda sunt, præterquam quod
neque ferulis, neque canalibus, inter quæ vulnus sa-
nescere non potest, sed pluribus tantummodo & la-
tioribus fasciis opus est, ingerendumque subinde in
eas est calidum oleum & vinum, magisque in princi-
pio fame vtendum, vulnus calida aqua fouendum, fri-
gusque omni ratione vitandum est, & transeundum
ad medicamenta, quæ puri mouendo sunt, maiorque
vulneri quàm ossi cura agenda. Ergo quotidie solu-
dum nutriendumque est. Inter quæ si quod paruulum
fragmentum ossis eminent, id si retusum est, in suam
sedem dandum: si acutum: antè acumen eius longius
est præcidendum: si breuius, limandum, & vtrinque
scalpro limandum, tum ipsum recondendum est: ac si
id manus facere non potest, vossella, quali fabri vtun-
tur, iniicienda est, rectè se habenti capite ab ea par-
te qua sima est, vt ea parte qua gibba est, eminens os
in suam sedem compellat. Si id maius est, membranu-
lisque cinguntur, sinere oportet ea sub medicamen-
tis resolui, idque os, vbi iam nudatum est, absconde-
re: quod maturius scilicet faciendum est, prodestque
ea ratione & os coire, & vulnus sanescere. Illud suo
tempore, hoc prout se habet. Nonnunquam etiam in
magno vulnere euenit, vt fragmenta quædam velut
emorianur, neque cum cæteris coeant. Quod hic
quoque ex modo fluentis humoris colligitur. Quo
magis necessarium est, sæpius vlcus resolvere atque
nutrire. Sequitur verò, vt id os per se post aliquot

Dd iij

dies excidat, cum tam misera antea conditio vulneris sit, tamen interdum maius diutiusque facies. Sæpe enim integra cutis offe abrumbitur, protinusque prurigo & dolor oritur. Quæ solvere, si accidit, maturius oportet, & fouere aqua per ætatem frigida, per hyemem egelida: deinde, ceratum myrteum imponere. Interdum fractura quibusdam, velut aculeis carnem vexat, quo à prurigine & punctiōibus cognito, aperire id melius, eosque aculeos præcidere necesse habet. Reliqua verò curatio in utroque hoc casu eadem est, quæ ubi ictus protinus intulit puro iam vlcere. Cibus hic quoque vtendum est carnem producentibus, si breuius adhuc membrum est, & ossa loco suo non sunt, paxillus tenuis quàm leuissimæ generis inter ea demitti debet, sic vt capite paulum supra vlcus emineat, isque quotidie plenior adigendus est, donec par id membrum alteri fiat. Tum paxillus remouendus, vulnus sanandum est, cicatrix inducenda fouenda frigida aqua est, in qua myrtus, hederæ, aliæve similes verbenæ fiat: illinendumque medicamentum quod siccet, & magis etiam hic quiescendum, donec id membrum confirmetur. Si quando verò ossa non conferbuerunt, quæ sæpe soluta, sæpe mota sunt, in aperto deinde curatio est: possunt enim coire. Si vetustas occupauit, membrum extendendum est, vt aliquid lædatur. Ossa inter se manu diuidenda, vt concurrendo exasperentur, vt si quid pingue est, eradatur, totumque id quasi recens fiat. Magna tamē cura habita, ne nervi musculi lædantur. Tum vino fouendum est, in quo malicorium decoctum sit, imponendumque; id ipsum oui albo mistum. Tercio die resoluendum, fouendumque; aqua, in qua verbenæ, de quibus supra dixi, decoctæ sint. Quinto die idem faciendum, ferulæque; circundandæ. Cætera & antè & post eadem faciendæ, quæ supra scripsi. Solent tamen interdum diuersa inter se ossa cohærere. Eoque &

breuius membrum & indecorum fit: & si capite acutiora sunt, adfiduæ punctiões sentiuntur. Ob quam causam frangi rursus ossa & dirigi debent. Id hoc modo fit: Calida aqua multa membrum id fouetur, & ex cerato liquido perfricatur, intenditurq; & inter hæc medicus pertractans ossa: vt adhuc tenero callo manibus ea diducit, compellitq; id, quod eminet in suam sedem: & si parum valuit, ab ea parte, in qua os se inclinat, inuolutam lana regulam obicit. Atque ita deligando assuescere iterum vetustæ sedi cogit. Nonnunquam autem recte quidem ossa cœperunt, su perincreuit verò nimius callus, ideoq; locus intumuit. Quod vbi incidit, diu leniterq; in membrum perfricandum est ex oleo & sale & nitro, multumq; aqua calida salsa fouendum, & imponendum malagma quod digerat, alitriusq; alligandum, oleribusq; & præterea vomitu vtendum. Per quæ cum carne callus quoque extenuatur, confertq; aliquid de sinapi, quod cum ficu in alterum pariter membrum impositum, donec id paulum erodat, eoq; euocet materiam. Vbi his tumor extenuatus est, rursus ad ordinem vitæ reuertendum est.

De luxatis ossibus.

CAP. XI.

AC de fractis, quidem ossibus hætenus dictū sit. Mouentur autem ea sedibus suis duobus modis. Nam modò quæ iuncta sunt inter se dehiscunt, vt cum latum scapularum os ab humero recedit, & in brachio radius à cubito, & in crure tibia à sura, interdum à saltu, calcis os à talo, quod raro tamen fit. Modò articuli suis sedibus excidunt. Antè de prioribus dicam. Quorum vbi aliquid incidit, protinus is locus cauus est, depressusq; digitus finem inuenit. Deinde grauis inflammatio oritur, atque in talis præcipua. Siquidem febres quoque &

D d iij

cancros & neruorum vel distentiones vel rigores, qui caput scapulis annectunt, mouere cōsuevit. Quorum vitandorum causa facienda eadem sunt, quę in ossibus mollibus laxis: vbi aliquid incidit, protinus his locis proposita sunt, vt dolor tumorque per ea tollantur. Nam diducta ossa nunquam rursus inter se iunguntur, & vt aliquid decoris eo loco sit, nihil vsus admittitur. Maxilla verò & vertebra omnesque articuli cum validis neruis comprehendantur, excidunt: aut vi expulsi, aut aliquo casu neruis vel ruptis vel infirmatis: faciliusque in pueris & adolescentulis, quàm in robustioribus: hiq; elabuntur in priorem & in exteriorem partem, quidam omnibus modis, quidam certis. Suntq; quædam communia omnium signa, quædam propria sunt cuiusque. Siquidem semper ea parte tumor est, in qua os prorumpit: ea sinus, a qua recessit. Et hæc quidem in omnibus deprehenduntur, alia verò si in singulis. Quæ simul atque de quoque dicam, proponenda erunt. Sed vt excidere omnes articuli non possunt, sic non omnes reponuntur. Caput enim nonnunquam compellitur, neq; in spina vertebra, neque ea maxilla quæ vtraq; parte prolapsa antequam reponeretur, inflammationem mouit. Rursus qui neruorum vitio prolapsi sunt, cōpulsi quoq; in suas sedes iterum excidunt. At quibus in pueritia exciderunt, neq; reposita sunt, minus quàm cæteri crescunt. Omniumq; quæ loco suo non sunt, caro ea increscit, magisq; in proximo membro, quàm in vltiore. Vtputa si humerus loco suo non est, maior in eo ipso fit, quàm in brachio: maior in hoc, quàm in manus acie. Tum pro sedibus & pro cassibus qui inciderunt, aut maior, aut minor vsus eius membri relinquitur: quoq; in eo plus vsus superest, eo minus id extenuatur. Quicquid autem loco suo motum est, ante inflammationem reponendum est. Si illa occupauit, tum conquiescat, laceffendum non

est: vbi finita est, tentandum est in his membris, quæ
id patiuntur. Multum autem eo confert & corporis
& nervorum habitus. Nam si corpus tenue, si humi-
dum est, si nervi infirmi, expeditius os reponitur. Sed
et primo facilius excidit, & postea minus fideliter
continetur. Quæ contraria his sunt, melius continet.
Sed id quod expulsus est, difficulter admittunt. O-
portet autem ipsam inflammationem leuare, super
succida lana ex aceto imposita. A cibo, si valentioris
articuli casus est, triduo: interdum etiam quinque die-
bus abstinere debet. Bibere aquam calidam dum fi-
tim finiat. Curiosusque hæc facere his ossibus mo-
tis, quæ validis plenisque musculis continentur: si ve-
rò etiam febris accessit, multo magis: deinde ex die
quinto fouere aqua calida, remotaque lana ceratum
imponere ex cyprino factum, nitro quoque adiecto
donec omnis inflammatio finiatur. Tunc infractione
ei membro adhibere, cibis vti bonis, vti vino modice,
iamque ad vsus quoque suos id membrum promo-
uere: quia motus vt in dolore pestifer, sic alias salu-
berimus corpori est. Hæc communia sunt, nunc de
singulis dicam.

De maxillæ luxatæ curatione. CAP. XII.

Maxilla in priorem partem propellitur, sed
modò altera parte, modò vtraque. Si alte-
ra, in contrariam partem ipsa, mentumque
inclinatur, dentes partibus non respondent, sed sub
his qui secant canini sunt. At si vtraque, totum men-
tum in exteriorem partem promouetur, inferiores-
que dentes longius quam superiores excedunt, in-
tenti que super musculi apparent. Primo quoque tem-
pore homo in sedili collocandus est, sic vt minister
a posteriore parte caput eius contineat: vel sic, vt iuxta
parietem is sedeat, subiecto inter parietem & ca-

C O R. C E L S I

put eius scorteo puluino duro, eoq̃ue caput per mī-
nistrum vrgeatur, quo sit immobilius. Tum medici
digiti pollices linteolis vel fasciis, ne dilabantur, in-
uoluti in os eius concienti: cæteri extrinsecus ad-
mouendi sunt. Vbi vehementer maxilla apprehensa
est, si vna parte procidit, concutiendum mentum, &
ad guttur adducendum est. Tunc simul & caput ap-
prehendendum, & excitato mento maxilla in suam
sedem compellenda, & os eius comprimendum est,
sic vt omnia penè vno momento fiant. Si in vtraque
parte prolapsa est, eadem omnia facienda, sed æqua-
liter retro maxilla agenda est. Reposito osse, si cum
dolore oculorū & ceruicis iste casus incidit, ex bra-
chio sanguis mittendus est. Cum omnibus verò quo-
rum ossa mota sunt, primo liquidior cibus conue-
niat, tum his præcipuè, adeo vt sermo quoque fre-
quenti motu oris per neruos lædat.

De capite luxato.

CAP. XIII.

CAput duobus processibus in duos sinus sum-
mæ vertebræ demissis, super ceruicem con-
tineri in prima parte proposui. Hi proces-
sus interdum in posteriorem partem excidunt, quo
fit, vt neruus sub occipitio extendatur, mentum pe-
ctori adglutinetur, neq; bibere is, neq; loqui possit,
interdum sine voluntate semen emittat. Quibus ce-
lerrime mors superuenit. Ponendum autem hoc esse
credidi, non quo curatio eius rei vlla sit, sed vt res
iudiciis cognosceretur, & non putarent sibi medicū
defuisse, si qui sic aliquem perdidissent.

De spina luxata.

CAP. XIII.

Idem casus manet eos, quorum in spina vertebræ
exciderunt. Id enim non potest fieri, nisi ex me-

dulla, quæ per medium, & duabus membranulis, quæ per duos à lateribus processus feruntur, & nervis, qui continent, ruptis. Excidunt autem & in posteriore partem, & in priorem, & supra septum transversum, & infra. Si in vtranque partem exciderint, à posteriore parte vel tumor, vel sinus oritur. Si super septum id incidit, manus resoluuntur, vomitus aut distentio nervorum insequitur, spiritus difficulter mouetur, dolor vrget, & aures obtusæ sunt. Si sub septo, fœmina resoluuntur, vrina suppressitur, interdum etiam sine voluntate prorumpit. Ex eiusmodi casibus, vt tardius quàm ex capitis, sic tamen intra triduum homo moritur. Nam quod Hippocrates dixit, vertebra in anteriorem partem prolapsa, pronum hominem collocandum esse, & extendendum, tum calce aliquem super ipsum debere consistere, id intus impellere, in his accipiendum est, quæ paulum excesserunt, non in his, quæ toto loco mutatæ sunt. Nonnunquam enim nervorum imbecillitas efficit, vt quamvis non exciderit vertebra, paulum tamen in anteriorem partem promineat. Id non iugulat, sed ab anteriore parte non contingit quidem posse: ab posteriore si propulsum est, plerumque iterum redit: nisi, quod admodum rarum est, vis nervis restituta est.

De humero luxato.

CAP. XV.

Humerus autem modò in alam excidit, modò in partem anteriorem. Si in alam delapsus est, & victus cubitus recedit ab latere, rursum iuxta eiusdem partis aurem cum humero porrigi non potest, longiusq; altero id brachium est. Si in anteriorem partem, summum quidem brachium extenditur, minus tamen quàm naturaliter, difficiliusq; in anteriorem partem quàm in posteriorem cubitus porrigitur. Igitur si in alam humerus excidit, & vel pue

rile adhuc est corpus vel molle, certe & imbecillibus nervis intentum est, satis est collocare id in sedili, & ex duobus ministris alteri imperare, vt caput lati scapularum ossis leniter reducat, alteri vt brachium extendat: ipsum posteriore parte residentem humerum sub ala eius cogere, simulq; & latum os, & altera manu brachium eius ad latus impellere. At si vastius corpus, nervisve robustiores sunt, necessaria est spathula lignea, & quæ crassitudinem duorum digitorum habet, & longitudine ab ala ad digitos peruenit. In qua summa capitulum est rotundum, & leniter cauum, vt recipere particulam aliquam ex capite humeri possit. In ea bina foramina tribus locis sunt inter se spatio distantibus, inq; ea lora mollia coniiciuntur. Eaq; spatha fascia inuoluta, quo minus tactu lædat, ad alam à brachio dirigitur, sic vt caput eius summæ alæ subiiciatur. Deinde, loris suis ad brachium deligatur, vno loco paulum infra humeri caput, altero paulum supra cubitum, tertio supra manum. Cui res protinus interualla tunc quoque foraminum aprata sunt. Sic brachium deligatum super scalæ gallinariæ gradum traicitur, ita alte, vt consistere homo ipse non possit, simulq; in alteram partem corpus demittitur, in alteram brachium intenditur. Eoque fit vt capite ligni caput humeri impulsus, in suam sedem, modo cum sono, modo sine hoc compellatur. Multas alias esse rationes scire facile est vno Hippocrate lecto, sed non alia magis vsu comprobata est. At si in priorem partem humerus excidit, supinus homo collocandus est, fasciaq; aut habena media ala circumdata est, capitaque eius post caput hominis ministro tradenda, brachium alteri: præcipiendumq; vt ille habenam, hic brachium extendat. Deinde, medicus caput quidem hominis sinistra debet repellere, dextra verò cubitum cum humero attollere, & os in suam sedem compellere, fa-

ciliusque id in hoc casu, quam in priore reuertitur. Reposito humero, lana alæ subiicienda est. Si in inferiore parte os fuit, ut ei opponatur. Si in priore parte, ut tamen commodius deligetur. Tum fascia primum sub alā obuoluta, caput eius debet comprehendere, deinde profectus ad alteram alā, ab eaq; ad scapulas, rursusque ad eiusdem humeri caput tendere. Sæpiusque ad eandem rationem circumagi, donec bene id teneat. Vincitur hæc ratione humerus commodius continetur. Si adductus ad latus sit, ad id quoque fascia deligatur.

De Cubiti luxati curatione. CAP. XVI.

IN cubito autem tria coire ossa, humeri, & radii & cubiti ipsius, ex his quæ prima parte huius voluminis posita sunt, intelligi potuit. Si cubitus qui innexus humero est ab hoc excidit, radius qui adiunctus est, interdum trahitur, interdum subsistit. In omnes verò quatuor partes excidere cubitus potest: sed si in priorem prolapsus est, extensum brachium est, neque recuruatur. Si in posteriorem, brachium curuum est, neque extenditur, breuiusque altero est. Interdum febrem vomitumque bilis mouet. Si in anteriorem interioremve brachium porrectum est, sed paulum in eam partem à qua os recessit recuruatum, quicquid incidit, reponendi ratio una est. Neque in cubito tantum est, sed in omnibus quoque membris longis, quæ per articulum longa testa iunguntur. Vtrunque membrum in diuersas partes extendere, donec spatium inter ossa liberum sit. Tum id os quod excidit ab ea parte, in quam prolapsum est, in contrariam impellere. Extendendi tamen alia atque alia genera sunt, prout nerui valent, aut ossa huc illucve sederunt. Ac modò manibus solis utendum est, modò quædam alia adhibenda. Ergo si in priore

COR. CELSI

partem cubitus prolapsus est, extendi per duas manus, interdum etiam habenis iniectis satis est. Deinde rotundum aliquid à lacerti parte ponendum est, & super id repente cubitus ad humerum impellendus est. At in aliis casibus commodissimum est eadē ratione brachium extendere, quæ fracto cubito suprà posita est, & tum ossa reponere. Reliqua curatio eadem est, quæ in omnibus. Celerius tantum & sepius id resoluendum est, multoq̃ue magis aqua calida fouendum, diutius ex oleo & nitro ac sale perfri-candum. In cubito enim celerius, quàm in vlllo alio articulo, siue extra remansit, siue intus reuertit, calculus circumdatur, isq̃; si per quietem increuit, flexus illius postea prohibet.

De manu luxata.

CAP. XVII.

MAnus quoq; in omnes quatuor partes prolabitur. Si in posteriorem partem excidit, porrigi digiti non possunt: si in priorem, non inclinantur: si in alterutrum latus, manus in contrarium, id est, aut pollicem, aut ad minimum digitū conuertitur. Reponi non difficilimè potest. Super durum locum & renitentem ex altera parte intendi manus, ex altera brachium debet, sic ut prona sit: si in posteriorem partem os excidit, supina: si in priorem, si in anteriorem exterioremve, in latus. Vbi satis nervi diducti sunt, si in alterutrum latus procidit manus brachium in contrarium repellendum est. At his, quæ in priorem posterioremve partem prolapsa sunt, superimponendum durum aliquid, idq̃; supra prominens os manu vrgendum est, per quod vis adiecta facilius in suam sedem compellit.

De Palma.

CAP. XVIII.

IN palma quoque ossa interdum suis sedibus promouentur, modo in priorem partem, modo in posteriorem. In latus enim moueri partibus ossibus oppositis non possunt. Signum id solum est, quod omnium commune est, tumor ab ea, in quam os venit: sinus ab ea, à qua recessit. Sed sine intentione digitorum, tantummodo bene pressum os in suam sedem reuertitur.

De digitis.

CAP. XIX.

AT in digitis totidem ferè casus, eademq; signa sunt, quæ in manibus. Sed in his extendendis non æque vi opus est, cum & articuli breuiiores, & nerui minus validi sint. Super mensam tantummodo intendi debent, qui vel in priorem, vel in posteriorem partem exciderunt, tum iam palma compelli, atque id quod in latus elapsum est, digitis restitui.

De Femore.

CAP. XX.

CUm de his dixerim, de his quoq; quæ in cruribus sunt, videri possum dixisse. Siquidem etiam in hoc casu quædam similitudo est femori & humero, & tibiæ & cubito, pedi & manui. Quædam tamen separatim quoque de his dicenda sunt. Femur in omnes quatuor partes promouetur, sæpiissime in interiorem, deinde in exteriorem, raro admodum in priorem, aut posteriorem. Si in interiorem partem prolapsum est, crus longius altero, & vastius est: extrâ enim pes vltimus spectat. Si in exteriorem, breuius rarumq; fit, & intus inclinatur, calx ingressu terram non contingit, sed planta ima, meliusq; id crus superius corpus, quàm in priore casu fert, minusq; baculo eget. Si in priorem crus ex

tensum est, implicarique non potest, alteri cruri ad
 calcem par est: sed ima planta minus in priorem par
 tem inclinatur, dolorque in hoc casu præcipuus est,
 & maxime vrina supprimitur. Vbi cū dolore inflam-
 matio quieuit, commode ingrediuntur, totusq; eorū
 pes est. Sed & si in posteriorem extendi non potest
 crus, breuiusque est, vbi constitit, calx quoque ter-
 ram non contingit. Magnum autem femori pericu-
 lum est, ne vel difficulter reponatur, vel repositum
 rursus excidat. Quidam iterum semper excidere cō-
 tendunt, sed Hippocrates & Diocles, & Philotimus,
 & Nileus, & Heraclides Tarentinus, clari admodum
 autores, ex toto se restituisse memoriæ prodiderunt.
 Neq; tot genera machinamentorum quoque ad ex-
 tendendum in hoc casu femur, Hippocrates, An-
 dreas Nileus, Nymphodorus, Protarchus, Heracli-
 des, Faber quoque quidam reperissent, si id frustra
 esset. Sed vt hæc falsa opinio est, sic illud verum est.
 Cum ibi valentissimi nerui, musculiq; sint, si suum
 robur habent, vix admittere: si non habent, postea
 non continere. Tentandum igitur est, & si tenerius
 membrum est, satis est habenam alteram ab inguine,
 alteram à genu intendi. Si validius, melius adducet,
 qui easdem habenas ad valida bacula deligarint: tum
 que eorum fustium imas partes oppositæ moræ obie-
 cerint, superioresque ad se vtraque manu traxerint.
 Etiamnum valentius intenditur membrum super sca-
 mnum, cui ab vtraque parte axes sunt, ad quos ha-
 benæ illæ deligantur, qui vt in torcularibus cōuersi,
 rumpere quoque, si quis perseverauerit, non solum
 extendere nervos & musculos possunt. Collocandus
 autem homo super id scamnum est, aut pronus, aut
 supinus, aut in latus: sic vt semper ea pars superior
 sit, in quam os prolapsum est: ea etiā inferior, à qua
 recessit. Nervis extentis in priorem os venit, rotun-
 dum aliquid super inguen ponendum, subitoque su-
 per id,

per id, genu adducendum est eodem modo, eademque de causa, qua idem in brachio fit, protinusque si complicari femur potest, intus est. In cæteris verò casibus, vbi ossa vim paulum inter se recesserunt, medicus debet id quod eminet, retro cogere, minister cōtrā inde coxam propellere. Posito osse, nihil aliud noui curatio requirit, quā vt diutius is in lecto detineatur, ne si motū adhuc nervis laxioribus femur fuerit, rursus erumpat.

De Genu.

CAP. XXI.

Genu quoque & in exteriorem, & in interiorem, & in posteriorem partem excidere notissimum est, in priore non prolabi plerique scripserunt. Potestque id vero proximum esse: cum idem opposita patella, ipsa quoque caput tibiæ contineant. Meges tamen eum cui in priorem partem excidisset, à se curatum esse memoriæ prodidit. In his casibus, intendi nervi rationibus iisdem quas in femore retuli, possunt. Et id quidem quod in posteriorem partem excidit, eodem modo rotundo aliquo super poplitem inposito, adductoq; eo crure reconditur. Cætera verò manibus simul, tum ossa in diuersas partes compelluntur.

De Talo.

CAP. XXII.

Talus in omnes partes prolabitur. Vbi in interiorem partem excidit, ima pars pedis in exteriorem partem conuertitur. Vbi huic contrarius talus, contrarium etiam signum extat. Si in priorem partem erumpit, à posteriore latus nervus durus & insanus est, minusq; is opus est: si in posteriorem, calx penè conditur, plaga maior fit. Reponitur autem is quoq; per manus, prius in diuersa

Ee

pede & crure diductis. Et in hoc quoq; casu diutius in lectulo perseverandum est, ne is talus, qui totum corpus sustinet, parum confirmatis nervis ferendo oneri cedat, rursusq; prorumpat. Calceamentis quoque humilioribus primo tempore vtendum, ne iunctura talum ipsum lædat.

De Plantâ.

CAP. XXIII.

Plantæ ossa iisdem modis quibus in manu, prodeunt, iisdemq; conduntur. Fascia tantummodo calcem quoque debet comprehendere: ne cum mediâ plantam inumq; eius vinciri necesse est, liber talus in medio relictus, materiam pleniorē recipiat, ideoq; suppuret.

De digitis.

CAP. XXIII.

In digitis nihil ultra fieri debet, quàm quòd in his qui sunt in manu, positum est. Potest tamen conditus articulus medius aut summus canaliculo aliquo contineri. Hæc faciēda sunt in his casibus, vbi sine vulnere ossa exciderunt. Hic quoque & ingens periculum est: & eo grauius, quo maius membrum est, quo ve validioribus nervis aut musculis cōtinetur. Ideoq; humeris, femoribusq; metus mortis est, ac si reposita ossa sunt, spes nulla est. Non repositis tamen, nonnullum periculum est. Eoq; maior in vtroque timor est, quo propius vulnus articulo est. Hippocrates nihil tuto reponi posse, præter digitos & plantas & manus dixit, atque in his quoque diligenter esse agendum, ne præcipitarent. Quidam brachia quoque & crura reposuerunt. Et ne cancri, distentionesq; nervorum orirentur, sub quibus in eius modi casu fieret mors matura, sanguinē ex brachio miserunt. Verùm ne digitus quidem in quo minimū

ut malum, sic etiam periculum est, reponi debet ante inflammationem, aut postea cum iam vetus res est. Si reposito quoque osse nerui distenduntur, rursus id protinus expellendum est. Omne autem membrum, quod cum vulnere loco motum, neque repositum est, sic iacere conuenit, ut maxime cubantem iuuat, tantum ne moueatur, neve dependeat. In omniq; tali morbo magnum ex longa fame praesidium est. Deinde ex curatione eadem quae proposita est, ubi ossibus fractis vulnus accessit. Si nudum os eminet, impedimento semper futurum est. Id quod excedit, abscindendum est. Imponendaq; super arida linamenta sunt & medicamenta non pingua, donec quae sola esse in eiusmodi re sanitas potest, veniat. Nam & debilitas sequitur, & tenuis cicatrix induitur, quae necesse est facile noxae postea pateat.

**

*

F I N I S.

Ee ij